DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia ſingultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, et obſeſſas fauces premit aſpera lingua.

VIRG. GEORG. Lib. III.

T. 925. 2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE ISTA VARIETATE FEBRIUM, INDIARUM OCCIDENTALIUM,
QUÆ VULGO
FEBRIS FLAVA
NUNCUPATUR
COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BENJAMINUS WATTS KING,

EX INSULA SANCTI CHRISTOPHERI

CHIRURGUS.

AD DIEM XII. NOVEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1799.

322291

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

VIRIS CELEBERRIMIS SPECTATISSIMISQUE

ALEXANDRO DUNLOP,

ARMIGERO;

CHIRURGIÆ PERITISSIMO

PRIMOQUE EJUS REI MEDICÆ DOCTORI.

NEC NON

ROBERTO CLEGHORN, M. D.

CHYMIÆ

IN ALMA HAC ACADEMIA

PRÆLECTORI EXIMIO;

PROPTER MULTA BENEFICIA,

QUÆ

AB EORUM CONSILIIS PRÆCEPTISQUE

TAM PUBLICE QUAM PRIVATIM

ET OLIM ET NUPER

EDUXIT.

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI,

TESTIMONIUM

OFFERT,

B. W. KING.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

CALIDIS in regionibus, et præcipue in occidentali India, morbus graſſatur cujus ſtrages adeo fuerint latæ diræque, ut attentionem non modo medicorum ſed hominum plerorumque per Europam et alibi ſibi jure vindicaverit.

Febris flava vulgo, at inepte nuncupatur, quippe nomen ineptam morbi opinionem communicat; id tamen mutare in animo non eſt; nam, etſi melius nomen excogitaretur, in vicem ejus jamdudum cogniti ac uſitati vix admitteretur. Sex annorum experientia edoctus, ſigna præcipua quæ hanc ab aliis febribus a me obſervatis diſtinguunt fideliter tradam.

Menſe quolibet invadere poteſt, ſed a Novembre ad Martium rara eſt et parum maligna, a kalendis Junii ad finem verſus Auguſti quam maxime fit frequens ac lethalis. Advenas e regionibus hyperboreis, præſertim intemperatos, libidinoſos, et eos qui ſolis ardoribus vel rori veſpertino objiciuntur, præ contrariis aggreditur. Quapropter, nautæ ei ſunt imprimis obnoxii. Præter enim intemperantiam ſolitam quæ id genus hominum febri omnigenæ objicit, inter labores duriſſimos ſub ſole ardente ſæpe adeo defatigantur, ut veſpere roſcido, qualis diem calidiorem ſemper ſequitur, incauti ſub Jove procumbant, et vel nudi vel parum apte veſtiti ſomno periculoſiſſimo obruantur.

Hujus ut et aliarum febrium primus impetus ſæpe fit per inſidias. Tunc per aliquot horas, æger queritur tantum, levem languorem vel laſſitudinem; cum nauſea et horrore, quæ omnia adeo negliguntur ut medicus raro arceſſitur donec ſigna graviora accedant. Plerumque tamen impetus magis eſt atrox. Caput ſæviſſime dolet; vomitus frequens; vultus admodum rubet; oculi ſanguinei hument; præcordia mirum in modum opprimuntur, et inſolita flamma torreri videntur, unde graviſſima ducens ſuſpiria, æ-

ger miſerrimus quam maxime opprimitur. Horas per paucas, pulſus celer, durus, plenus, evadit. Dorſum, articuli et muſculi dolent, ac mire debilitantur. Lingua albida, et humida eſt, cum ſiti modica. Urina plerumque pallida ac cruda (interdum tamen coloratior fluit) a quantitate naturali parum diſtat. Cutis percipitur tangenti calida, ſed arens quaſi perſpirationis expers, at ab initio morbi minime flaveſcens, uti vulgo creditur. Hoc notatu digniſſimum, aliter enim medicus inſuetus, ob flavedinis abſentiam ſemetipſum fallere, ægrumque deperdere nonnunquam periclitabitur.

Per totum morbi decurſum ſomnus aufugit, vel ſiquando accedat, æger adeo non reficitur ut poſt ſubſultus et inſomnia dira experrectus, magis defeſſus conſpiciatur: inde terror ſomnum deinceps non optatum abigit. Dum hæc narrat, nil eſt quod magis vel frequentius quam præcordiorum oppreſſionem horrendam conqueritur. Sermonis fit initium, finiſque, et omne malum quod ſentit vel timet, huic uni identidem tribuitur.

Pulſus, initio celer, poſt viginti quatuor horas ad octoginta uſque deſcendit (quod in aliis febribus rariſſimum) at plenus duruſque, fere ad fi-

nem uſque morbi, perſtat. Haud raro adeo tardatur ut ictus quinquaginta, finem verſus morbi, non excedat; quo tempore, poſt ictum tertium quartumve ſæpe intermittit.

Morbo progrediente, lingua aridiſſima, obtegitur cruſta albida. Dentes materie atra, viſcoſa obducuntur; ſaliva vel nulla vel viſcida et ſitis admodum intenditur. Vomitio fit frequentiſſima, et quod rejicitur, id eſt vel bilis vel pituita viſcida. Dolor capitis adhuc urget, haud raro cum delirio, quod tamen rarius in iis qui, initio, naturæ ſoli committuntur, ſemet oſtendens, a medicamentis parum idoneis originem forſan ſæpius ducit.

Epiſtaxis haud rara, ejuſque effectus incertus. Initio, morbum aliquando ſolvit; frequentius, erga finem morbi, atrum vomitum comitatur, eandemque agnoſcit cauſam.

Oculus ſummam attentionem ſibi vindicat, quippe cujus ſpecies omnino ſingularis morbum certiſſime diſtinguit. Globus quaſi prominens in ſero rubicundo innatare videtur. Vaſa adnatæ, injectis ſimilia, admodum turgent, et viſus ſæpe

hebeſcit. Vultus, cervix, et pectus ſudore gelido perfunduntur.

Calor cutis jam fere naturalis, una cum pulſu fallaci, imperitum medicum in errorem ſæpe ducit, ei perſuadendo ægrotum evaſiſſe periculum tunc cum periculum graviſſimum inſtat.

Nox ſecunda priori ſimilis. Æger inſomnis, inquietus poſitum omnigenum fruſtra tentat; graviſſime ſuſpirat, et irrito conamine vomendi iſtud onus quo præcordia ab initio morbi ad finem uſque nunquam non premuntur, iterum iterumque ſed ſemper nequicquam laborat. Vomitus nunc adeo fit frequentior ut rariſſime ceſſet erga finem ſecundi vel initium diei tertii, quo tempore materies rejecta ſubfuſca facta, in nigritiem lethalem gradatim tranſit.

Idem circiter tempus tunica albuginea, ut et cutis vultus, cervicis, ac pectoris leviter flaveſcunt, quod ſignum etſi non inter graviſſima, et huic morbo minime proprium, utpote intermittentibus et aliis regionum calidarum febribus, ubi primæ viæ initio negliguntur, commune, nomen morbo indidit. Ab eo præſente vel abſente periculum æſtimari nequit, etſi hoc vulgo credatur

maximum ubi flavedo citiſſime ſemet oſtendat. Certiſſime, tamen, multi quorum cutis omnino flaveſcebat convaluerunt, dum alii hujus ſigni expertes, morbo haud dubie eidem ſuccubuerunt. Nec deſunt exempla flavedinis ſemet oſtendentis die ſexto vel ſeptimo tantum, poſtquam nempe æger fere ex toto periculum evaſiſſet.

Nox tertia prioribus ſimilis, ſomni expers; at miſer jam multo debilior, minus conqueritur, et ſiquis alloquatur aut auxiliandi vel blandiendi gratia, ægre fert.

Vomitio aſſidua miſerum non modo a cibo, ſed a ſomno utcunque expetito, ſemper prohibet. Materiem vomitu rejectam, a primi fine diei, gradatim nigreſcere, jam notatum. Autem diem circiter quartum, ſæpe citius, iſtam diriſſimam ſpeciem, quam auctores fœcibus Caffeæ per aquam diffuſis aptiſſime compararunt, ad amuſſim exhibet. Odor ingratus eſt, non fœtidus; ſapor, cujus tamen niſi rogati mentionem nullam ægri faciunt, eſt leviter amarus. Hujus quantitas enormis, quantitatem bilis, intra iſtud tempus paratæ longe ſuperat, quapropter, fonti diverſo uti poſtea dicetur, eſt tribuenda.

Cum primus impetus levis fuit, et cum ab initio uſque æger fuit apte curatus hoc ſignum nunquam ſemet oſtendit. Tanti eſt, ulla ſine mora morbum ab initio rite curare, ut medicum deceat quandocunque hæc febris graſſetur omnem impetum febrilem, utut levem, ita tractare quaſi morbum exitialem intra paucas horas expectaverit.

Aliud ſignum atro vomitu non minus lethale, et ejus abſentis interdum quaſi vice fungens, ſæpe occurrit; nempe dejectio per anum, rei gleboſæ, nigræ et putridiſſimæ a fine tertii diei quo plerumque incipit, ad mortem uſque perſtans.

Linguæ mutationes inſignes mutationibus ventriculi ac inteſtinorum quodammodo reſpondent. Initio albida et humida, die ſecundo lingua fit arida et ſubfuſca: margo poſthac cute nudatur, et ſæpe, poſt nempe atri vomitus incurſum, cruda, ſtriata, purpuraſcens, quaſi tunica villoſa abraderetur, ſemet oſtendit. Hanc ſpeciem verbis deſcribere difficillimum. Carnem bovinam crudam, tenui pellicula tranſlucida obtectam quam maxime refert, at æger, quod obſervanti mirum, nil moleſti queritur.

Exinde os indies magis magiſque araret; dentes, pro ſplendente humore ſanis proprio, materie denſa, viſcida et nigra, omnino oblinuntur. Sitis pariter creſcit, nec potu ſublevari poteſt, nam quicquid hauritur, ſtatim, vel altera vice certe rejicitur.

Urina admodum varia, initio pallida, cruda, et ſolitæ quantitatis, coloratior facta, demum rubra vel fuſca evadens linum ei merſum aliquando tingit. Vomitu urgente parcior, demum nulla evadit, et nullum mingendi deſiderium, nec ullus veſicæ tumor obſervatur, nec immiſſum catheterem urina ſequitur.

Die quarto cutis frigida adhuc arida et duriuſcula ſentienti percipitur, et pulſus naturali tardior ægrotus parum anxius futuri, ſurgit, ambulat, et paucas horas ante fatum extremum, de vitæ futuræ conſiliis, meditabundus, rationes init. Interea tamen frigus extremorum, cervicis livor, et corpus olidum, medicum ſagacem periculi inſtantis præmonent.

Singultus finem verſus haud rarus; petechiæ vibiceſve plerumque abſentes, aliquando ſe monſtrant; carphologia, ſubſultus tendinum et alia

quæ typhum graviorem comitantur, huic quoque adſunt.

Cerebri functiones interdum parum turbantur, de quo tamen nil univerſum affirmari poteſt, ſæpe enim delirium cito advenit, quod coma in extremis ſtadiis ſubſequitur.

Die ſexto aut octavo pauci interiere, Hoc tamen ut Doctor Hunter * recte notat a mutatione infauſta die quinto vel ſeptimo præeunte fere ſemper pendet. Finis quarti vel quinti initium pleriſque lethale; etſi æger aliquando celerius opprimatur, cui medicus nil præter miſericordiam inanem afferre poteſt. Exitus morbi varius, nunc convulſionibus, nunc copiæ materiæ atræ, ore vel ano rejectæ, ægrum obruit. Color cadaveris cito mutatur et maculæ purpureæ, flavo circulo cinctæ, ſe ubique oſtendunt.

Qui quinto diei ſupereſt, æger haud raro evadit, quem fauſtum eventum ſequentia promittunt; ſcilicet, ubi, cutis leniter moleſcit; ubi veſicæ circa os, ut in typho fauſto erumpunt; ubi ſomnus lenis naturalis vires reficit; ubi vo-

---

* Diſſertatio Inauguralis, Edin. 1798.

mitu ceſſante, ventriculus non modo recipit potum, ſed cibo quodammodo appetit; ubi, denique, præcordia olim oppreſſa ſublevantur, et aliis ſignis gravioribus quotidie remittentibus, ad vim priſtinam homo gradatim redditur.

Ad nonum uſque diem morbus aliquando durat, ſed his in exemplis, eventus plerumque fauſtus.

DIAGNOSIS.

Hæc eſt formanda non modo a ſignis morbi propriis ſed a rebus aliis rite perpenſis. Quamdiu æger in regione calida degerit; qualis fuerit ratio vivendi; quouſque fatigationi, ardoribus ſolis, vel rori veſpertino fuerit objectus, caute conſiderare oportet.

Hic morbus poſt horas duodecim vel octodecim adeo miteſcit ut deceſſurus videatur, pulſus nempe fit naturalis et cutis frigida (vel ſaltem naturali frigidior): at examinanti, cutis arida percipitur, contra quod in remittentibus ubi calor cutis et pulſus celeritas ceſſarunt, evenit.

Hic quoque vomitus perſtat. Vultus præterea anxius, vaſa oculi aquoſa, tumida, quaſi injecta; præcordia oppreſſa, quod et in lenibus exemplis morbi rariſſime abeſt: ſuſpiria et ſomni abſentia pertinax hanc ab aliis febribus ſat clare diſtinguunt.

Morbo progrediente nova ſigna morbum magis inſigniunt. Status linguæ crudus lividuſque antea notatus, a ſpecie quam in aliis febribus lingua exhibet, adeo diſtat, ut eum huic morbo ſoli proprium non credere non poſſim. In remittentibus, enim, lingua ſemper cruſta viſcida, ſubfuſca obducitur donec morbus recedat, quo tempore, humida et nitida, qualis ſano convenit, illico evadit. Medicum, ſiquando incertum, cutis frigida, vomitus ater, et urina ſuppreſſa, certiorem poſthac reddunt, ſed omine infauſto; nam cum hæc dira ſemet oſtenderunt, parum intereſt utrum medicus recte judicaverit necne, quippe qui fere nil contra morbum efficax moliri poſſet.

In hiſtoria, diagnoſin a flava cute minime eſſe petendam, jam diximus, utpote quæ huic febre non ſemper adeſt, et aliarum multo minus acerbarum, frequentiſſima comes. Quapropter nec nimis æſtimanda nec omnino negligenda eſt.

Animi mutationes obſervare quoque operæ eſt pretium. Primo impetu depreſſus et expes, alterum poſt diem minus timet et finem verſus, placidus tranquilluſque videtur ultra quod in alia febre contingere ſolet. Æger etiam magis inſomnis in hac quam in reliquis febribus, ab initio ad finem uſque, obſervatur.

PROGNOSIS.

In Prognoſi proferenda medicus cavere debet donec accurate obſervaveret mutationes, quæ pulſum tardiorem redditum, comitantur, vel ſequuntur. Si die ſecundo, vomitus et ſitis cum alvo pertinaciter adſtricta, creſcant; ſi ægrotus omnino inſomnis, valde turbetur; ſi vultus luridus; oculus hebes, aquoſus; ſi denique præcordia deprimantur, malum eſt. Si nox ſecunda et tertia adhuc inquieta; ſi vomitus fuſcus vel ater; ſi corporis ſuperficies, excepto cordis ſcrobiculo, frigida ſit et arida, ſi pulſus tardatus, infra ſeptuaginta numeretur, multo pejus eſt. Ubi lingua ſpeciem antea deſcriptam refert, et urina ſupprimatur, peſſimum eſt, his enim fere nemo ſupereſt.

Signa fauſta ſunt iis contraria. Ubi totum corpus leniter madeſcat; ubi vomitu ceſſante, alvus ſponte fluit; ubi pulſus naturalis, oculus vegetus, et vultus præ mæſto ac anxio, hilaris vel ſaltem placidus videatur; ubi præcordia onere gravi ſubleventur; ubi tandem ſopor lenis ægrum mulceat reparatque, ibi prognoſim fauſtam edere licet.

Nil tamen in univerſum affirmare decet, nam non modo juvenes imperiti ſubinde falluntur, ſed ætate et experientia provectiſſimi, ſe ægros contra ſpem et opinionem, aliquo ſubito caſu inopinato, dum omnia mox antehac feliciorem exitum pollicerentur, ſæpius amiſiſſe fatentur. Cautiſſime igitur, hac in febre, medicus ſagax et peritus ſemper prædicet.

SEMINIA MORBI.

In his ſcrutandis ad experientiam alienam æque ac propriam, animum advertemus.

Quo plenior et irritabilior, et dum in regione boreali degebat ad inflammationes pronior, eo magis huic febri, cum in regionem calidiorem migraverit, homo obnoxius erit. Plethora et nimia irritabilitas, igitur, corpus huic morbo aptum reddere videntur quod alia quoque aptius reddunt.

Qui diu navi incluſi, terræ appulſi, quaſi e carcere liberati immodice gaudent. Huc illuc vagantur, novitate rerum lætantes, avia locorum peragrant, et minus incommodi a calore quam expectaverant, percipientes, metum curamque ventis tradunt. Sudoris copia tamen et fatigatio demum ſubſiſtere cogunt, cum vel gramine ſuper viridi ſub umbra ſternuntur, vel, ſi domus præſto ſit, eam ineunt, et locum vento frigidiſſimo perflatum, aliis anteferunt. Hic corpora olim cito calefacta æque celeriter frigeſcunt; perſpiratio mox antehac profuſa, cohibetur et fluida introrſum pelluntur. Ubique terrarum vices hujuſmodi incommodæ ac periculoſæ, nuper zonam torridam advenientibus certiſſime ſunt exitio, quod adeo patet ut mentionem vix mereretur, niſi hoc ipſum negligendo, plurimi ſemet identidem deperdidiſſent.

Exemplum Hoſpitum qui, advenas comiter rogatos, benigne excipiunt, periculum auget. Hoſpites ipſi diuturna commoratione ibi, quaſi muniti, omnigena luxurie ſibi tutius indulgent, cibo animali veſcendo et vinum Madeirenſe, quod apud ditiores plerumque in uſu, abunde hauriendo. Exemplo ſpecioſo ſeductus infelix advena, cibo vinoque impletus, ſera nocte, dum terra arefacta gravi rore reficitur, domum verſus titubat et lectum petit, inde nunquam vivus deceſſurus. Namque corpus, ardore ſolis debilitatum, a ſtimulo vini, et rore frigido, adeo afficitur, ut proximo mane in febrem lethalem incidat. Incolæ ipſi, ex iiſdem cauſis, febrem ſed minus periculoſam, remittentem nempe, identidem perpetiuntur.

Ubi febris nautas, milites vel reliquam plebem affatim corripit, ad nimiam exercitationem ſub ſole, vel ſero veſpere, ad ſpiritum diſtillatum (vulgo *Rum* dictum) immodice hauſtum; vel venerem effrenam, facile referri plerumque poteſt.

De cauſa quæ morbum excitat, inter auctores minime convenit. Qui eum contagioni tribuunt, ii fuerunt et adhuc ſunt permulti, quibus tamen re caute perpenſa, aſſentiri nequeo.

Siquis quærat, unde niſi a contagioni pendet, quod magnus nautarum militumve numerus, uno eodemque die morbo omnino ſimili, corripiatur, reſpondebitur, quia ad unum omnes, cauſis morbi æque objiciebantur. Pleuritidem quantum mihi notum contagioni nemo tribuit at plures eodem momento ſæpe aggreditur, immo interdum, ut mihi obſervare ſemel contigit, ab ægro ad miniſtram tranſit. Aeri frigido ac humido objecta morbum ipſa quoque ſuſcepit.

A numero igitur ſimul affecto, nil naturam morbi contagioſam probaturum colligi poteſt, immo contrarium exinde veriſimile redditur. Nam cum morbus contagioſus quempiam corripit, illum qui proximus atque infirmiſſimus, qualis, exempli gratia ægro miniſtrandi cauſa aſſidue adeſt, proxime invadit, dein alios ordine prout quiſque ægro proprior, aut infirmior fuerit. Febris flava tamen multos eodem momento, viros, robuſtos, puberes, præ pueris, infirmis, ac fœminis adoritur. Qui diu in regionibus ſolſtitialibus vitam egerunt, eos utpote quodammodo mutatos, et ardoribus aſſuetos raro invadit, et Æthiopes fere nunquam. Hujus rationem reddere ſi modo morbus a contagione derivetur difficillimum.

Æthiopes ægris adeſſe et ſubminiſtrare ſolent, veſicatoria curant, veſtimenta immunda tractant, et omni officio, cui ancillæ per Britanniam deſtinantur, de die in diem funguntur, at morbi immunes. Num idem de aliis contagiis verum? Minime quidem; nam variolæ, rubeolæ, aut dyſenteriæ objectus, æque ac Europæus, morbo obnoxius niger videtur.

Præterea, febris flavæ omnino ſimilis homines ſingulos, ubi nulla febris antehac ſemet oſtenderat, ſubinde adoritur, quod et ipſe ſemel expertus.

Julio, anni prioris, febrem ſubii qua intra horas triginta ſex adeo debilitatus, ut memet ſine deliquio animi erigere nequirem, et ſi malum initio fuiſſet neglectum, alia et acerbiora ſigna febris horrendæ affore, mihimetipſi et amicis veriſimile videbatur. Neminem tamen febricitantem viſebam, ergo contagii ſuſpicio nulla, ſed multos variola laborantes, per menſem inter ſolis ardores, curabam, et nocte altera ante incurſum, navigium in portu procellas frigidiſſimas conſcendere cogebar. Ecce cauſam febris.

Dum febris contagio vulgo tribuebatur, ægri

negligebantur crudeliſſime et ab conſanguineis, qui ſibimet timentes, turpiter aufugerunt. Experientia jam melius edocti, præſto ſunt qui miſeris, medicamina, potum, et omnigenum levamen, fidi conſtanteſque ſuppeditant.

Novam opinionem DOCTOR MITCHELL novi Eboraci medicus ingenioſus, de cauſa hujus febris nuper propoſuit. Id aeris genus cui *Azote* nomen inditum, cum aëris puri vel oxygen, certa proportione conjunctum, cauſam eſſe febris credit. Corpori nocet reſpirando, cum per atmoſphæram diffunditur, ſed eſt quoque, ubi intra corpus ipſum, gignitur. In ventriculo et inteſtinis eorum qui cibo partim animali partim vegetabili veſcuntur, exortus, atrum vomitum et alia ſigna huic morbo propria, facile edit. Hanc opinionem in medio relinquam, at liber varias ob cauſas poſtea memorandas, attentione haudquaquam indignus.

Cauſa proxima hujus, ut et aliarum febrium, tenebris adeo denſis obtegitur, ut eas diſſipando impar, et opinionum vanarum ac inutilum pertæſus tranſiturus ſim ad

RATIONEM SYMPTOMATUM.

Dolor Capitis a ſanguinis impetu cerebrum verſus, et arteriarum intra cranium actione adaucta pendet, cujus utrumque cauſæ generalis irritantis eſt effectus.

Oculus inflammatus et *Lachrymoſus*, a vaſis adnatæ ſanguine rubro onuſtis, ob nempe circuitum velociorem, et fibras vaſorum partis muſculares relaxatas, originem ducit.

Lingua cruda tunicæ villoſæ deperditæ, quam acrimonia generalis per corpus valens, converrere videtur, ortum debet. Purpuraſcit quoque ob vaſa minutiora quaſi injecta, ex qua ſpecie una cum ano excoriato, ſtatum tubi inteſtinalis has inter partes extremas interjacentis, haud abſimilem eſſe colligere poſſumus.

Tunicam ventriculi abraſam ater vomitus plane probat, nam etſi initio bilis aucta et mutata in vitio ſit, quin ſanguis poſtea in ventriculum ex ar-

teriis extremis effuſus, materiem nigram ſuppeditet, dubitare nequeo. Dejectiones nigræ ſimilem, in partibus inferioribus, originem, agnoſcunt, et ſanguis ubicunque effuſus, partem ſtimulando, propriam expulſionem promovet.

Præcordiorum oppreſſionem, ſanguini in vaſis largis cordi vicinis, congeſto, tribuebam, ſed cum ſanguinis detractioni minime cedat, opinionem minus eſſe veriſimilem judicavi. Forſan cor ipſum ſpaſmo afficitur, dum vena cava aſcendens quadantenus premi poteſt hepate tumido, cujus vaſa ſanguine turgentia, molem ejus magnopere augere nunquam non cernuntur.

Urinæ inopia partim a fluidis vomitu rejectis, partim a ſpaſmo vel torpore arteriarum renalium renumque pendet, unde ſecretio ceſſat, nam veſica, vacua reperta, in vitio non eſt.

Cutis friget et *aret* ob circuitum ibi languidum, et impetum ſanguinis interiora verſus adauctum. Eadem flaveſcit ob eandem cauſam, nempe bilem ſanguini admiſtam, quæ ictericos eodem tingit colore.

Pulſus tardatur ob fibras muſculares cordis ac

arteriarum multo minus irritabiles factas. Singultus et alia ſigna reliquis febribus communia, communem in utriſque agnoſcunt originem.

Cadavera hoc morbo deperditorum, viſcera abdominis præcipue læſa commonſtrant. Superficies interna ventriculi, quaſi abraſa, cernitur, cavumque atra materie, ei quam æger vomere ſolebat, omnino ſimili, impletur. Maculæ gangrenoſæ quoque cum in ventriculo, tum in tenuibus inteſtinis, ſæpius fuere obſervatæ. Jecur ampliatur, ejuſque veſica atra bile diſtenditur. Denique omnia fere viſcera abdominalia magis minuſve morbide mutantur.

METHODUS MEDENDI.

Cum hæc ſit admodum difficilis, et ſæpe ſpem peritiſſimi fallat, incurſum morbi omnimodis præcavere quam maxime oportet. Quantum cura humana valeat contra peſtem, omnibus præter

barbaros bene notum, nec minus valebit contra hanc febrem peſte ipſa vix minus horrendam.

Advena tunc debet ante omnia venere ac vino aliquamdiu abſtinere, donec corpus ardoribus ſolſtitialibus aſſuetum, huic febri minus obnoxium reddatur. Vitet, ſumma cura, fatigationem ſub ſole ardente, aufugiat rorem gravem, imbreſque fugentes. Prima nocte decumbat, et primo mane ſurgens ſemet equo leniter exerceat. Quo minus perſpiratio cohibeatur, laneum induſium ſæpius mutandum, convenit.

Non modo a vino, et id genus liquoribus ſed a cibo animali magna ex parte aliquantiſper abſtinendum. Nam uti Mitchell ſagax bene notat, qui cibi animalis copia veſcuntur ii ſunt febri maxime obnoxii. Sic Indiæ orientalis incolæ vegetabilibus tantum veſcentes, peſtis ſemper immunis; ſicque Socrates, præ aliis cibi potuſque temperans, e media peſte tutus evaſit!

Alvus ſemper facilis ſervanda et mox antequam terram appulerint, ſanguinem modice detrahere licebit. His et aliis hujuſmodi conſiliis quæ prudentia cuique facile ſuggeret, hæc fe-

brium diriſſima plerumque evitari poterit, ſin aliter, methodum medendi præſtantiſſimum conſiderare oportet.

Signa periculoſiſſima ſunt ab initio uſque præcavenda. Inter hæc numeravimus atrum vomitum, quem ſanguini e vaſis extremis in ventriculum effuſo a priore congeſtione ibi et in partibus vicinis tribuimus. Hanc congeſtionem auferendo effuſionem prohibere imprimis conandum.

Sanguinis detractio huic conſilio accommodatiſſima primo adſpectu videtur, et a viro perito Rush Philadelphenſienſi, quaſi aliis remediis multo anteferenda, valde laudatur. Pace tanti viri, mihi obſervare liceat, ſanguinem in febre flava Indiæ occiduæ cautiſſime eſſe detrahendum.

Si primo die morbi, ægrotum viſamus plenum, vultu rubentem, et pulſu durum, ſanguinem detrahere *ſemel* decebit: ſed et in robuſtiſſimis iterum detrahere vix licet, aliter æger admodum debilitatus certiſſime ſit moriturus. Primum poſt diem, ſanguis minime eſt mittendus, nam vaſa interiora jam ſanguine onuſta, adeo laxabuntur

evacuatione, ut effuſioni quam impedire volumus magis opportuna exinde evadunt.

Mihi ſemel contigit, ſanguinem ſecundo febris die, nautæ robuſtiſſimo detrahere. Sex unciæ tantum emiſſæ deliquium animi afferebant, et quantum judicare potui, ſigna acerbiora reddita, ac tardius convaluit.

Sanguinis miſſio pulſum in hoc minus quam ullo morbo mihi noto, mutat; et ſanguis nil cruſtæ coriacæ inflammationibus communis, nec quidlibet proprium, præter flavedinem ſeri levem, monſtrat; unde, ut et experientia adductus, ſanguinem raro, nec niſi cautiſſime detrahendum cenſeo.

Emetica ſæpiſſime adhibita haud raro infelici eventu. Niſus vomendi enim, ut vulgus inepte credit, non ſemper a ſaburra ventriculum gravante, ſed ab ipſo ventriculo nimis irritabili reddito, cietur; et ſic res ſe habet in febre flava. Quantitas exigua antimonii tartarizati, vomitionem lethalem, nec optimis remediis ſuperabilem, nimis ſæpe excitavit. Hoc omiſſo, infuſum chamæmeli abunde ſubminiſtrandum, ut nempe molimina vomitus leniora fiunt, et ventriculus ipſe

contractionibus ſpaſmodicis aliquando occurrentibus, minus objiciatur. Ne fæces *primis viis* incluſæ, eas, et exinde totum corpus periculoſe irritent, tamen, eliciendæ ſunt, ſi non emeticis, certe

Purgantibus, in omni Indiæ occidentalis febre, at præcipue in flava, purgantia præſtantiſſimos effectus edere obſervantur, et in ægrotis quos imperitus, ob debilitatem, actioni purgantium impares judicaret. Nam æger, ut RUSH multique alii iterum iterumque obſervarunt, purgatus, adeo non debilitatur, ut ſingulas poſt dejectiones novas vires recuperare videatur.

Remediorum hujuſmodi magnus eſt delectus, ſed ventriculus mire irritabilis rejicit pleraque antequam opus optatum edere poſſunt, et enemata quibus ſolis medici gallorum confidunt, parum valent. Id igitur e purgantibus quod ventriculum irritando minus aptum videtur, ſeligendum, quale eſt Murias Hydrargyri, cui ſoli plurimi vitam debent.

Inteſtina niſi omnino torpent, certo ſed ſegnius irritat, quapropter non modo magna copia, ſed vicibus repetitis exhiberi debet, et quantitas

aliquando neceſſaria eſt fere incredibilis. Viro adulto a granis quinque ad decem, altera quaque hora danda ſunt, donec alvus pleniſſime fluit, immo donec ſaliva proritatur.

Quantitas hydrargyri muriati alvo plene demittendæ, neceſſaria, os ſæpius affecit et ſemper feliciſſime: quod compluries obſervatum, hydrargyrum, diatheſi febrili obviam ire, plurimis perſuaſit. Hæc opinio quadantenus firmatur notando, quod ubi eventus morbi infelix, ibi ſaliva nunquam hydrargyro cieri poſſit.

Effectus hydrargyri aliis in morbis jam omnibus cognitus. Contra hepatitidem plurimum valet, et in hac febre obſtructiones hepaticas forſan amovet, dum vaſa interna ſtimulando, ab onere horrenda omnia liberat. Utrum tamen effectus ſalutiferos, actionem cum qua febrilis conſiſtere nequit, an alio modo adhuc ignoto edat, hoc animis infigere oportet: ſcilicet, ubicunque ſecundo vel tertio die ſalivæ copiam hydrargyri ope provocare poſſumus, æger tutus evadit. Eventum huic contrarium videre, mihi nunquam contigit.

Præter hydrargyrum muriatum intus ſump,

tum, copiam unguenti hydrargyri regioni hepatis, et interiori femori circa genu inungere oportebit. Sic opus medicaminis promovebitur, nec frictio ipſa inutilis, quippe quæ vaſa ſuperficiei ſtimulando, eorum actionem, indeque circuitum ſanguinis æquiorem promovet.

Sudorifica idem præſtant. Cum ſudor naturalis ſummum levamen ſæpius afferat, cumque ſigna peſſima donec cutis arida ſit, ſemper durent, ad ſudorifica, febris pellendæ gratia, medici olim decurrerunt. At in febre de qua agitur, tanta eſt ventriculi irritabilitas quanta medicamina hujuſmodi, poſt moram breviſſimam fere ſemper rejicit, unde ſigna antea acerba, acerbiora redduntur.

Initio morbi Balneum calidum huic conſilio optime reſpondet. Pedes aquæ calefactæ per ſemihoram immittendi, et ſi æger ob debilitatem et animi deliquium, tamdiu erigi nequeat, fovendi ſunt. Febre progrediente; fluida ingerere neceſſe, et ea ſeligere decet quæ non modo ſitim compeſcunt, ſed ſudorem promovent. Multa hujuſmodi laudata, ſed plura perperam, quale eſt ſerpentariæ infuſum, quod adeo nauſeam ciet ut rariſſime reſpondeat votis. Pars æqua radicum Sene-

kæ et Collombo* aqua decocta, potum, mihi ſæpe optimo cum effectu præſcriptum, ad ægri libitum, præbet. Collombo vomitionem cohibet, ventremque roborat, dum Seneka et ſudorem promovet et corpus minus calefacit, dum actionem arteriarum (ſæpe naturali tardiorem) tutiſſime ciet.

Sudorifica reliqua innumera ſunt, quorum alia inutilia, alia nociva, inveniuntur. Antimonium, ex. gr. adhuc magni plurimis æſtimatur, ſed hic damnoſum in omni fere forma, utpote quod irritabilitatem ventriculi antea nimiam, ultra modum adauget.

Hauſtus ſalini efferveſcentes quoque multum laudanti a me memet ſæpius fuerunt adhibiti, ſed effectu adeo levi ut mentionem vix mereantur. Decoctum menthæ recentis aliquando utile, concedi poteſt ægro cuilibet id appetenti, ſed ante omnia aquam puram frigidamque, ægris ſæpe precibus efflagitatam, concedere oportet. Sic me ſemper geſſi, ne quidem ſemel eventu infelici, quod incredibile videbitur iis qui vana et falſa

---

* R. Rad. Collomb.
—— Senek. ana drachmas duas.
Coque ex Aq. font. lb. octo ad lb. ſex.

opinione obducti, ægri votis ſemper eſſe obſtandum, credunt. Poſt diaphoretica præſtantiſſima fruſtra tentata, aqua frigida affatim hauſta ſudorem ſæpe eduxit.

Urinæ inopia ad *Diuretica* attentionem medicorum direxit. Ex his admodum numeroſis, nil præſtat alkali vegetabili cum hydrargyro muriato conjuncto. Spiritus ætheris nitroſi et multa alia in uſu fuerunt, ſed ab initio uſque nauſeam ciendo, nocere ſolent.

Pulſus tardior, cutiſque frigida, ſervum pecus medicorum ad ſtimulantia et præcipue ad

Vinum, quo nil fere magis nocivum in exemplis pleriſque abduxit. Febrem debilitati tribuentes, cui vinum efficaciſſime obſtabat, medici paucos ante annos, magnam ejus copiam præceperunt. Inde corpore valde calefacto, et vomitione adaucta, æger plerumque delirabat. Nuper parcius adhibetur, et æger a prima doſi tantum incommodi percipit, ut alteram, niſi amici quem amat, precibus lachrymiſque victus, alteram frequentiſſime pertinax recuſet.

Vinum igitur inter primam febris violentiam

ſemper nocivam. Morbo decedente, debilis ejus ope, quod nunc deſiderat, citius reficietur, ſed magna adhuc opus eſt cura, nam æger roborandus, non autem excitandus vino eſt.

Opium per totum morbi decurſum ſomni abſentis alliciendi gratia plurimum fuit in uſu, ſed raro feliciter. Ejus enim uſus ægrum inquietum magis turbat cephalæamque, et alia ſigna acerba æque ac vinum adauget.

Aliquot in exemplis, opium præcepimus non irrita ſpe ſomni alliciendi, ſed diarrhœam, quam quantitas hydrargyri muriati medelæ neceſſaria, interdum, at rariſſime excitat, cohibendi cauſa. Hic quoque opium incommodum, enematibus leniter adſtringentibus, ſemper eſt poſthabendum. Tinctura e Kino enemata hujuſmodi præſtantiſſima ſuppeditat.

Hoc ipſo modo, cortex peruvianus et alia medicamina quæ ventriculus recuſet, adminiſtrari poſſunt, etiamque nutrientia. Sago et orchidis pulvis quorum utriuſque venter impatiens, juſculis animalibus præſtant.

Enematibus ſolis medici Gallici confiſi ægros

perdunt, ea igitur præcipio tantum ad effectus hydrargyri promovendos, vel diarrhœam cohibendam, vel denique ad nutrimentum neceſſarium ſubministrandum, dum idem ventriculus recuſaverit.

Cum ventriculus irritabilis nos ab medicaminum deſideratorum prohibet, ad externa, quorum utiliſſima ſunt

Veſicatoria, confugere cogimur. Hæc a primo morbi impetu me judice, ſunt adhibenda diverſis partibus hoc vel ſimili modo.

Primum ventriculi regioni adhibere oportet. Hujus ſtimulo ceſſante, ſingulis temporibus; dein inter ſcapulas; poſthac, eodem intervallo, ſingulis malleolis; denique totam per corporis ſuperficiem veſicatoria ſunt ordine adhibenda. Non modo ſtimulando ſed res varias foras eliminando, magnopere proſunt, et ſanguinem ſuperficiem verſus revocando, vaſa interna olim onuſta quodammodo liberant.

Dolorem inde oriturum, uti ſomno prorſus inimicum forſan aliquis objiciet, ſed hoc adeo non verum, ut æger antea inſomnis, poſtquam multæ

partes cute nudatæ fuere, haud raro obdormiſcat, et certe ſomnus non rarior cum quam ſine veſicantibus. Uſum eorum ſtranguria haud dubie nonnunquam ſequitur, nihilominus non omittenda ſunt, ſed ei fomentis et enematibus aptis obviam eſt eundem. Contra eam camphora a quibuſdam laudata, ante vomitu rejicitur, quam renes afficere poſſit.

Cuncta remedia a medicis ægriſve cauſas ob leves nullaſve, nunc aut olim commendata, utpote futilia ac incerta, numerare in animo non eſt, at unum reſtat memoria digniſſimum nempe

BALNEUM FRIGIDUM*.

Hoc contra febres varias Indiæ occiduæ uſurpatum, morbum poſt alia fruſtra tentata haud raro depellit. In omni morbi ſtudio præcipitur at tutiſſimum et maxime efficax, die primo alterove invenitur. Vaſorum extremorum ſpaſmo ſoluto,

* Seu Affuſio Aquæ Frigidæ.

perſpiratio primam aut ſecundam affuſionem aquæ frigidæ, haud raro, ſequitur.

Corpus hydrargyri ſatur, pace multorum aliter credentium, balneo frigido, iterum iterumque abſque incommodo objectum, unde, morbo ſoluto æger incolumis evaſit. Qui plurimum hydrargyri muriati, ſed nullo effectu, voraverat, æger quidam deſperatus in balneum demiſſus commodum inde ultra ſpem cepit. Intervallo quatuor horarum, ad tertiam uſque vicem demerſus ſaliva profluxit, ſignum quodque gravius receſſit, et æger, cujus pedes ex ſinapiſmo gangrenoſi viſi omnino convaluit.

Nec veſicatoria plura antea adjecta balneum prohibere debent, partes nudæ enim facile curatæ, nil incommodi ab aqua patiuntur. Ubi veſicæ nil emittunt, quod ſæpe fit et nunquam ſine gravi periculo, ibi balneum utiliſſimum, utpote quod, vaſa ſtimulando, fluxum humoris identidem promovet. Sic ægri adeo debiles ut primam aut ſecundam affuſionem parum perciperent, gradatim excitati, ad priſtinam ſanitatem redierunt.

Utrum aqua mera minus ſit efficax ſalſa, dubium videtur. Utilitatem ab aquæ impetu et frigore pendere multi opinantur, et iis aſſentior.

Æque ac alia remedia, ſpem interdum fallit, ſed toties votis reſpondit, totque fere omnino deſperatos, morti eripuit, ut attentione et periculo cauto ſit digniſſimum. Quo vis balnei frigidi contra febrem etiam graviſſimam, magis emineat, hiſtoriam ægri mihi mox ante deceſſum ex India occidentali demandati hiſtoriam breviſſime tradam.

Junii tredecimo anni vertentis amicum viſebam, cujus caput, lumbi et articuli admodum dolebant. Erubuit vultus, ut et oculi, qui quaſi profulturi ipſi videbantur. Pulſus plenus, regularis, ad centum aſcendebat, lingua humida et albida erat. Sitis et nauſea vexabat. Veſpere priore ante hæc ſigna, leviter horrebat.

Die præeunte ardores ſolis perpeſſus, frigori nocturno, ut et imbribus ſemet objecit, poſtquam induſium laneum cui cutis diu aſſueta fuerat, temere ac incaute depoſuerat.

Ei ſtatim præcepi quinque grana hydrargyri muriati cum $\frac{2}{3}$ grani antimonii tartarizati *, unde

* Huic antimonii tartarizati, contra morem ſolitum, aliquantulum præcepi, quia habitum corporis antea noveram, aliter non auſurus.

ſemel vomuerit et bis dejecerit quod cum parum ſufficere videretur, idem ſimili cum effectu repetitum. Veſpere, pulſus adhuc centum, mollis erat, et cutis humida. Aliquantulum vini cum aqua bibit, et quia dolor capitis, et alia ſigna perſtabant, pedes aquæ calidæ indidit. Induſium laneum iterum indutum.

14°. Somnus nullus. Dolor capitis ſævus. P. 100. Sudor fluit abunde. Lingua alba et humida. Sitis moleſtiſſima cum flatu levique nauſea. Urina pallida et cruda.

Singulis temporibus veſicatoria admota. Altera quaque hora quinque grana hydrargyri muriati cum parte æquali nitri et $\frac{1}{4}$ gr. antimonii tartarizati ſumſit. Multum ſudavit interdiu, nil vomuit, et veſpere caput minus doluit. Stranguriam exortam miſtura anodyna adeo ſublevavit ut æger aliquantiſper dormiverit.

15°. Nil incommodi ſentiens, ſe ſanum etſi debilem credit. Corticem ſumſit ad drachmas duas ſine incommodo ullo, et drachma omni hora præcipiebatur. Secundam circiter horam ex qua corticem ceperat digiti cum manus tum pedis frigeſcebant. Pulſus debilior factus, tremebat,

et partes extremæ ſudore gelido perfuſæ. Hæc mutatio repentina a vi vitæ ſubito minuta, originem ducens, me judice, uſum ſtimulantium plane exigebat, ſed cum intus ſumpta evomerentur, epiſpaſticis præcipue fidebam. Amplum igitur inter ſcapulas admotum; et ſinapiſmi pedibus. Vinum et aqua pro potu, vinum cum corticis copia pro enemate, datum.

Alteram poſt horam veſicatorium ſentiebatur, nihilominus ſudor gelidus perſtitit; pulſus intermiſſus; ventriculus valde turgebat; et enemata, quibus quindecim guttæ tincturæ opii additæ, ſtatim rejiciebantur.

Quoniam ægrotum huic ſimilem quarto die oppreſſum videram, DOCTOREM FAHLBERG arceſſivi, qui aliis remediis veſicantia antetulit. Duo igitur cruribus ſtatim adhibita, et, horas poſt duas, totidem femoribus, et ſinapiſmi pedibus iterum admoti. Hinc plurimum doloris, ſed parum a veſicatoriis, et malleoli frigidi manebant.

Cum ventriculus turgidus, irritabilis omnia rejecerit; cum gelidus ſudor corpus adhuc madefecerit, veſicatoria ſingulis malleolis adhibenda

cenſuimus. Quæcunque pars a pede ad ventriculum uſque tot inter emplaſtra, ſentiri poterat, viſcido ſudore perfuſa, uti marmor frigebat. Vini Madeirienſis cochleare ſubinde præbitum, ſed cito una cum potu reliquo, poſt niſus dolorificos, rejiciebatur. Enemata cum cortice quoque rejici ſolebant, et urina parum volenti ſtillatim effluxit.

Ad vomitum compeſcendum, emplaſtrum antiſpaſmodicum amplum ventri admotum, quo elabente, veſicatorium ejus vice adhibebatur. Ita intra horas octo ab extremis partibus frigeſcentibus, totum fere corpus actioni cantharidum objiciebatur, ſed incaſſum. Dolor quidem ab abdomine mediam circiter noctem, ſed non alibi perceptus, ſenſuſque doloris nil levaminis ſecum attulit. De ægroto actum eſſe videbatur.

16°. Somnus nullus. Semet movendo impar, fæces et urinam inſcius lecto demittit. Sudor gelidus perſtat, at cutis ſub veſicatoriis inflammata cernitur.

Infuſum corticis, et vinum Rhenenſe vetuſtum, præbita, ſtatim rejiciebantur. Veſpere et noctu nil in melius verſum, etſi veſicatoria dorſo et ventri plus humoris eduxerint. Totum fere corpus

ſudore gelido madebat; pulſus de hora in horam debilior, ſæpe percipi deſinebat; et æger periculi conſcius, de ſalute deſperabat.

17°. Omnia in pejus ruentia, finem infauſtum, jam, nam quintus erat morbi dies, cito affuturum minitabantur, niſi remedium magis prioribus efficax ſtatim inveniretur. Nil præter affuſionem aquæ frigidæ reſtabat, nec inde multum ſpei. Hujus amicos certiores fecimus, ut et periculi cui æger objiciebatur, animam, nempe dum remedium tentabatur, efflandi. Hoc remedium utut anceps, nullo præſtantius omnes judicarunt.

Itaque, veſpere, dum corpus marmoreum ſudore viſcido, gelido, perfuſum et cute magna ex parte nudatum, omnia amovebantur, et corpori nudo jacenti (nam debilitas erige prohibuit) copia aquæ marinæ frigidæ affundebatur. Humore deterſo, aliquantum ſpiritus vini flammæ antea ſubjectum, ſumſit, et cito vomuit. Ulcuſculis rite curatis, in lectum repoſtus, per ſex horas ſe non melius habere, ſed æque ac antea moribundus videbatur. Pulvis *Sago* et vinum Madeirenſe noctu præbebantur, ac ſinapiſmi brachiis pedibuſque, ne quid ſtimuli externi deeſſet, admovebantur.

18o. Somnus nullus. Sudor gelidus minor; pulſus plenior, ac regularis; partes extremæ quodammodo caleſiunt. Aqua mane iterum affuſa, impetum majorem ei indidit. Ventriculus corticis infuſum nunc retinuit. Enemata repetita; et aliquantum vini Madeirenſis interdiu ſine vomitu ſumptum.

Aqua, veſpere, iterum affuſa, pars omnis veſicatoriis affecta (ne quidem malleolis exceptis, qui huc uſque fere nil reddebant) humoris copiam effudit. Corpus caleſcebat et omnia in meliora vertebantur. Lingua tamen adhuc albida, urina cruda ac pallida, permanſit.

Complures per dies aqua jacenti, dein erecto affundebatur, et poſt hebdomadem leni ſopore refectus priſtinam ſanitatem gradatim recuperavit.

En exemplum eximium commodi ab aqua frigida rite adhibita derivandi. Hæc una ſervavit ægrotum cui nil ſignorum morti vulgo præeuntium abfuit.

Modus quo hic æger curabatur non omnibus convenit, nam ei antimonialia et vinum præbe-

bantur. Sed in India Occidentali, ubi natus, annos triginta continuos agebat, regionem frigidiorem nunquam expertus. Febri remittenti obnoxius erat, ad quam, hæc referebatur, et hiſtoria nunc traditur cauſa monſtrandi quouſque aqua frigida affuſa febri etiam periculoſiſſimæ profuerit.

FINIS.

GLASGUÆ:
EXCUDEBAT JACOBUS MUNDELL,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.